DE

GRAVIDITATIS SIGNIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIA

QUAM

CONSENSU ET AUTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUIDO SCHULZE

PALAEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

H. BERENDES, med. et chir. Dr.

TH. BUETTNER, med. et chir. Cand.

TR. KRETZSCHMAR, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

CARISSIMO, DILECTISSIMO

CAROLO BUETTNER

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTO

PROOEMIUM.

Quanta sint impedimenta quantaeque difficultates, quae medico tironi, dissertationem inauguralem conscripturo, offerantur, neminem fugit. Modo enim materiem sibi eligit adeo vulgarem atque tritam, ut nec sibi nec aliis operae pretium facere videatur, modo argumentum desumtum tantam doctrinae vel experientiae ubertatem requirit, ut vires tali operi impares sint, modo denique materies adeo ampla est, ut ejus expositio dissertationis inauguralis fines longe excedat. Pensitatis omnibus his difficultatibus, quum dissertationis scribendae officium mihi injungeretur, animum adverti ad rem, quae primo quidem obtuitu levioris momenti esse videtur praetereaque a scriptoribus eruditissimis omni ex parte ventilata est, attamen nonnulla offert minime plane illustrata, ergo meditationem aliquam requirentia, qua juvenile ingenium exerceatur. Nimirum de graviditatis signis disserere propo-

sui, qua in re virorum quidem illustrissimorum auctoritatem secutus sum, passim tamen, oblata opportunitate meam ipsius sententiam de majore aut minore illorum signorum dignitate paucis apponere non dubitavi. Ita sancto majorum mori et institutionibus academicis me satis fecisse arbitror. Lectoremque benevolum enixe rogo ut qualecunque hoc opusculum indulgenter excipiat et quae excusatione haud digna in eo invenerit, virium imbecillitati imputet.

DE GRAVIDITATIS SIGNIS.

Omnes medici obstetricii, vel peritissimi, tam nostri quam superiorum saeculorum, ingenue fatentur, in exercenda arte obstetricia nonnunquam casus sibi occurrisse, in quibus de graviditate vel affirmanda vel neganda dubii haeserint, aut quorum exitus fuerit talis, ut diagnosis, quam certam atque indubitatam habuissent, refutaretur. Provocans ad horum virorum testimonia, quae vix quisquam impugnabit, asserere haud dubito, criteria graviditatis omnia, quae in primo ejus dimidio observantur, admodum esse incerta, plurima vero eorum, quae in altero dimidio apparent, eatenus ambigua, quatenus ex eorum defectu nequaquam de graviditate deficiente concludere liceat. Inficias autem eundum non est, diagnosin graviditatis opera virorum meritissimorum, quos nostra aetas tulit, ut Laennec, Lejumeau de Kergaradec, Kluge, Jacquemin, multo certiorem atque evidentiorem redditam esse, unde factum est, ut multos casus nunc re-

cte dijudicemus, in quibus diagnosis priori aevo in suspenso relinquenda fuit. Neminem tamen artis obstetriciae gnarum tantae indulgere arrogantiae, vel eum potius in modum desipere arbitror, qui vel in difficillimis casibus verum sese cogniturum affirmet, aut litterarum artiumque incrementa nostro tempore eum gradum obtinuisse dicat, ut hac parte error non amplius committi queat. Etiamsi concedam, multis in casibus ambiguis medico ipsi, utpote vel rei ignaro vel non satis attento, culpam irrogandam esse, quod verum haud eruatur, tamen nequeo, quin sententiam supra pronunciatam defendam, omnia graviditatis signa magis minusve fallacia esse. Quod ut demonstrem, signa graviditatis, quae perhibentur, singula pertractabo et quantum quodque eorum ad confirmandam graviditatis diagnosin valeat, aut quam anceps sit, ergo rejiciendum, exponam.

Graviditatis signa in s u b j e c t i v a et o b j e c t i v a divido. De illorum dignitate vix addendum aliquid mihi videtur, quoniam nemo sana mente sensuque praeditus ignorat, multo plus fidendum esse iis, quae ipse percipit quam quae ab aliis sibi traduntur et ne recte quidem semper describuntur, aut figmentis nonnunquam corrumpuntur. Altera tamen parte haud diffiteor, multa signorum objectivorum parvi aestimanda esse, quum partim

aliis causis, a graviditate prorsus abhorrentibus, evocari possint, partim sensus ipsi nosmet interdum fallant.

Signa subjectica per se, ut jam adnotavi paene omni dignitate destituuntur, quippe quae levem tantum suspicionem nobis suppeditent, non plane tamen repudianda sunt, quoniam signis objectivis, si cum iis consentiunt, majorem firmitatem conciliant.

Maxime autem vilipendenda sunt ea signa subjectiva, quae, ut nonnulli scriptores asserunt, coitum foecundum indicant et in eo esse dicuntur, ut mulieres post concubitum magna cum libidine exercitum leves horrores cum aestu fugace alternantes, dolores ventris tendentes et molestos, totius corporis tremores, dysphoriam et languorem accusent, desiderio teneantur, femora committendi alterumque alteri superimponendi, denique effusionem seminis virilis ex genitalibus vel nullam, vel solito minorem, animadvertant. Contra enim haec adnotanda sunt: primo omnia, quae retulimus, unumquemque coitum excipere possunt; deinde mulieres raro tantum attentionis sibi impendunt, ut illa bene observent; tum pudor nativus impedit medicum, quominus haec interroget, mulierem, quominus sua sponte ea patefaciat; denique exempla mulieres, coitum sese exercuisse ignorantes, praegnasse testantur.

Signum notissimum, quod jam antiquitus princeps

conceptionis criterium habebatur et etiamnum primam graviditatis suspicionem movet, sed magnam requirit providentiam, ne medicus in errorem sese trahi patiatur, in menstruationis suppressione cernitur. Hoc signum quidem fiducia eatenus indignum non est, quatenus in universum statuere licet, mulierem ceterum sanam, quam coitum exercuisse scimus, si menses antea regulares sine causa quadam manifesta sueto tempore non fluxerint, concepisse. Caveat tamen medicus, ne, si catamenia aliquando defecerint, imprimis ubi de puella alias pudica agitur, graviditatis suspicionem statim concipiat aut temere pronunciet. Magnus enim est numerus causarum, quae purgationem menstruam reprimere possunt. Haud raro etiam medico accidit, ut aegrotantes, si ex iis morbi causam quaerat, responsum edere nequeant, quod rem dilucidet. Eadem de menstruationis suppressae causis adnotanda sunt; perfrigeria quaelibet, imprimis partium sexualium, animi pathemata vehementiora, diaeta perversa, nutrimentorum debitorum defectus, corporis labores graviores in fluxum menstrualem, profusae secretiones aliorum organorum, morbi exanthematici, morbosa conditio ipsius uteri aut vaginae, multa denique alia, quae enumerare longum est, menstruationis introitum legitimum prohibere queunt. Objicere quidem licet, menstruationis suppressionem aliis causis exortam plerumque valetudinem univer-

sam vario modo turbare, quae objectio facile eo elevatur, quod graviditas etiam turbatae valetudinis symptomata inferre solet. Inter lactationem quoque menses plerumque deficiunt, verumtamen exempla haud rara sunt, quae mulieres hac in periodo concipere posse argumentantur. Altera parte experientia docet, orta conceptione menstruam purgationem posse persistere. Omnes fere autores, qui hac de materia disseruèrunt, inter alios Roederer (1) et van Swieten (2), multa hujusmodi exempla tradiderunt, imo casus commemorarunt, in quibus menstruatio per totam reliquam vitam deficeret, inter graviditatem vero locum haberet. Silentio quoque praetereundum non est, puellas admodum juvenes, nondum menstruatas, interdum concipere. Quae si omnia meditamur, facile nobis persuadebimus, menstruationem suppressam signum incertissimum esse et fallacissimum, quod ad innumeros errores nos seducet, si ex eo de conceptione exorta concludere, aut, si menses fluere pergant, alia tamen graviditatis signa satis certa adsint, diserte negare velimus, mulierem praegnare.

Haud minus fallacia signa habenda sunt, quae ex nervorum systematis perturbationibus desumuntur. Inter haec praecipue numerandus est vomitus, qui, si aliis

(1) Roederer elementa artis obstet. Cap. VII.
(2) Van Swieten commentar. Vol. XIII.

signis supervenit, si jejuno ventriculo exoritur saepiusque repetitur, omnino graviditatis suspicionem movere potest. Verumtamen vomitus non solum jejuno ventriculo, sed etiam coena assumta accedit. Mulieres repente nauseam et fastidium accusant, sed evacuatis ventriculi contentis, quibus interdum sanguis immixtus est, multum sese levatas sentiunt. Quum autem vomitus non solum multorum morborum symptomata exhibere, sed singulatim quoque menostasias comitari soleat, ita quidem ut his in casibus nonnunquam pro vicaria purgatione menstrua possit haberi, nemo non intelligit, haud multum fiduciae in eo collocandum esse. Huc accedit, quod non nullae graviditates absque omni vomitu decursum suum absolvunt.

Eadem fere ratione alia signa, exaltatam aut alienatam nervorum sensibilitatem indicantia, dijudicanda sunt, ut cephalalgiae, odontalgiae multique alii dolores, qui rheumaticam indolem habere videntur, vertigines, lipothymiae, inquies totius corporis, agrypnia, horrores aestu fugace excepti, animi temperies mutata, sensuum hallucinationes, cupiditates peculiares, seu idiosyncrasiae, multae aliae affectiones, quas silentio praetermittam.

Nonnulli scriptores etiam salivationem quandoque occurrere dicunt, id quod Hippocrates (1) adnotavit

(1) Hippocratis Op. omnia edid. Kühn Vol. III. p. 8.

imo P. Frank (1) symptomatibus constantibus eam adnumerare videtur, nam »quantam« inquit, »salivae copiam mulieres inter graviditatem deperdunt!« Causam in sympathica necessitudine ponit, quae inter glandulas salivales, mammas, ovaria, uterum, ventriculum et tubum intestinalem intercedat.

Huc etiam illud pertinet, quod gravidae plerumque sensum quendam molestum pulsationis, aut tensionis aut plenitudinis mammam conqueruntur, quem dolores ictusque fugaces versus papillas comitantur. Etsi sympathicae illae affectiones, praecipue junctae cum signis, quae vel supra commemoravi, vel infra commemorabo, aliquam graviditatis suspicionem movent, tamen nunquam certis ejus criteriis adnumerandae sunt. Primum enim haud raro aliis causis morbificis, non exaltationi systematis nervorum conceptione inductae, originem debent; deinde valetudo universa multarum gravidarum ne leviter quidem turbatur; tum apud eas, quae jam antea statu morboso detinebantur, nonnunquam conceptio locum habet, quo fit, ut nemo dirimere queat, quaenam symptomata morbo priori, quaenam irritationi nervorum graviditate exortae impu-

---

Ὀκόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν, ἐφῆλιν ἐπὶ τοῦ προςώποὺ ἴσχουσι, καὶ ἀρχόμεναι συλλαμβάνειν μίσοινοι γίνονται καὶ κακόσιτοι, καὶ καρδιωγμοῦ μεσαὶ, καὶ πτυαλίζουσιν.

(1) P. Frank de curand. homin. morb. §. 495. et 491.

tanda sint. Silentio autem praetermittendum non est, symptomata illa sympathica aliquanto plus dignitatis obtinere, si apud multiparas occurrant, his enim in casibus comparatio praesentium phaenomenorum cum iis, quae priores graviditates comitabantur, ad eruendam diagnosin confert. Sub his tamen errores haud semper vitantur; dum enim alia dictorum phaenomenorum adsunt, alia deficiunt, saepe de statuenda graviditate dubitationes moventur et a morbo quodam symptomata illa derivantur.

Ultimum signum subjectivum, cujus mentionem hic facio et quod plerumque agmen reliquorum claudit, quoniam quarto demum aut quinto graviditatis mense apparere solet, in motibus infantis matri percipiendis cernitur. Diffitendum non est, hocce signum multo pluris, quam reliqua enumerata, existimandum esse, imprimis si a multipara perhibetur. Nihilominus evidentia ei deroganda est, quoniam innumera traduntur exempla, quibus foeminae, vel multiparae, propterea quod motus infantis sese sentire opinabantur, de graviditate persuasissimum habebant et fallebantur. Testem facio Petrum Frank (1) cujus auctoritatem omnes agnoscunt. Ex hujus scriptis afferam locum, quo de difficultatibus, graviditatem ab uteri hydrope discernendi, disserit: »Motus infantis

(1) P. Frank de curand. homin. morb. §. 744.

nquit, quos gravidae percipiunt, quamquam multum dignitatis tribuere iis debemus, tamen efficere nequeunt, ut diagnosis graviditatis basi firmae superstruatur, quoniam, si ab eo discedas, quod motus non semper tam evidentes sunt, ut mulier ne minimum quidem de iis dubitare possit, nonnunquam motus flatuum tubo intestinali inclusorum, nec non spasticae constrictiones, subjectivum illud symptoma eo gradu excitare queunt, ut mulieres, quae saepius jam partum ediderunt, decipiantur.« Inter causas motuum illorum, qui infantis esse videntur, praeter supra dictas ea quoque referri potest, quod exaltata systematis nervorum actio, qualis apud hystericas mulieres invenitur, illos saepe imitatur, imo pulsationes aortae abdominalis quandoque similem fallaciam inducunt.

Haec sufficiant de signis graviditatis subjectivis; gradum faciam ad objectiva, quae quidem, quum admodum numerosa sint, certo ordine exponam, prout sensibus variis percipiuntur, nimirum visu, tactu, auditu.

Quod ad signa pertinet oculis percipienda, plurimis in casibus faciem gravidarum mutationes quasdam subire videmus, e quibus analogia duce de graviditate concludimus. Oculi languidi evadunt, altius subsidere videntur, palpebrae inferiores annulis coerulescentibus cinguntur; genae pallescunt et collabuntur, aut ruborem saturatum circumscriptum offerunt, qualis in phthisi pulmonum in-

cipiente observari solet; vultus, amisso vigore debito e alacritate, apathiam et relaxationem quandam ostendi Quanquam Hippocrates (1) scribit: „*κύουσαν γυναῖκ ἢν μὴ ἄλλο γινώσκῃς, ἐν τούτῳ γνώσεις· ὁρῶνται οἱ ὀφθαλ μοὶ εἱλκυσμένοι καὶ κοιλότεροι καὶ τὰ λευκὰ τῶν ὀφθαλμῶ οὐκ ἔχει τὴν φύσιν τῆς λευκότητος, ἀλλὰ πελιώτερα φαίνο ται,*“ tamen vix quisquam dirimere audebit, utrum illa mutationes ab orta conceptione, an a causis morbific sint derivandae.

Aliquanto plus ponderis tribuendum est phaenomen ad quod jam Hippocrates (2) animum attendit, im cujus ex praesentia aut defectu de sexu foetus concl dendum esse putat — maculas innuo cutaneas, quib nomen chloasmata impertimus. Maculae istae gen ratim partes corporis non vestitas obsident, singulati frontem, genas, collum, manus, colorem pallido-flavu viridescentem, fuscum, interdum nigrum, pollicis aut pa mae latitudinem exhibent maximamque partem plan sunt. Quandoque non multo post conceptionem, saepi autem per ultimos graviditatis menses occurrunt et a

---

(1) Hippocratis Opera omnia edid. Kühn. Vol. I pag. 7.

(2) Hippocratis Opera omnia edid. Kühn Vol. I pag. 8. Ὅσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσαι ἔφηλιν ἐπὶ τοῦ προσώπ ἴσχουσιν, ἄῤῥεν κύουσιν· ὅσαι δὲ εὔχροοῦσαι διαμένου θῆλυ ὡς ἐπιτοπουλὺ κύουσιν.

quanto post puerperium evanescere solent. Huc accedit mutatio coloris, quam areolae mammarum experiuntur, utpote quae pro capillorum et cutis colore vario differat, majorem minoremve intensitatem exhibeat et procedente graviditate augeatur.

Hohl (1) quoque saturiorem lineae albae colorationem signum graviditatis proprium in plurimis saltem casibus a se observatam, perhibet, imo, tam huic confidens phaenomeno, quam maculis cutaneis magis minusve evidentibus, Hippocratis exemplo sexum foetus satis audacter auguratur, multos apponens casus, in quibus ex hisce signis recte se judicasse affirmat; idem vero, non nimium fidei iis habendum esse, fatetur. Porro major saturatio coloris ephelidum et naevorum maternorum inter signa graviditatis relata est. Verum tamen ad fallaciam horum signorum probandam sufficere videtur, ut modum intueamur, quo dictae cutis mutationes explicari solent — sanguis nempe, retentis catameniis carbogenio obrutus, abundantiam ejus in aliis locis, maxime in cute, deponere putatur; ceterum illae cutis mutationes haud raro deficiunt.

Signum haud constans, ergo incertum, saepe tamen

(1) Hohl die geburtshülfl. Exploration. Halle 1834 Th. 2, Seite 26.

obvium, colli tumescentiam habeo, quam P. Frank (1) a sanguinis versus glandulam thyreoideam congestione, retentis menstruis exorta, derivat et Thyreophyma fugax appellat, quoniam intrante menstruatione aut partu absoluto sua sponte desinit.

Praeter areolarum colorationem saturiorem antea adnotatam mammae varias easque manifestas mutationes offerunt. Natura enim haec organa in graviditatem paulatim ad functionem adaptat, cui postero tempore providere debent, excitat et largiorem humorum affluxum iis suppeditat, quo fit, ut vasa eorum lactifera magis evolvantur et ad secretionem fluidi, quod in lac tandem mutatur, incitentur. Huic interno processui externa mammarum forma respondet: manifesta enim capiunt incrementa, ergo majorem assequuntur ambitum et magis magisque ad hemisphaeriorum similitudinem accedunt; venae mammarum evidentius pellucent, papillae magis elevantur. Quibusdam in casibus e mammarum papillis fluidum lactis sero simile aut sua sponte aut levi pressione profluit, vel exstillat. Non paucae tamen inveniuntur mulieres, quarum glandulae mammariae pariter atque papillae totam per graviditatem tam exiguo gradu evolvuntur ut ipsae infantem uberibus suis nutrire nequeant, qua

---

(1) P. Frank de curand. hom. morb. §. 800.

quidem res, etiamsi pressioni, vestitu mulierum inepto nimisque stricto inductae, multum culpae inculpamus, tamen haud satis dilucidata est. Porro unumquodque irritamentum in uterum agens, sive sanguine menstruali in eodem retento, sive alia quadam causa morbifica efficiatur, per sympathiam supra memoratam, quae inter mammas uterumque intercedit, mutationes illarum ante dictas inferre potest. Praeterea apud nonnullas mulieres ab una graviditate ad alteram non modo mammarum evolutio, verum etiam lactis secretio locum habet. Denique exemplis satis multis comprobatur, non modo virginum intactarum, sed quoque infantium, imo virorum mammas praeter normam evolutas, si premantur, interdum lac edere. Montgomery (1) medicorum animos ad singulare phaenomenon in mammarum areolis obvium attendit, quod inde ab exordio graviditatis usque ad ejus finem sese observasse tradit ideoque signum graviditatis proprium habet. »Areolarum, inquit, superficies, nominatim ea pars, quae a papillarum basi proxime abest, folliculis glandulosis obsidetur et, quum hi promineant, inaequalis redditur; numerum folliculorum inter duodecim et viginti variare, elevationem pollicis partem decimam sextam ad

(1) Montgomery die Lehre von den Zeichen, Erscheinungen und der Dauer der menschlichen Schwangerschaft, übersetzt von Dr. Schwann, Bonn 1839. Seite 72.

octavam adaequare« scribit. Simul Montgomery pergit, cutis has partes investiens turgida, mollior magisque succulenta, quam vicinarum partium, invenitur, dum eodem tempore in utraque, praecipue si feminae fuscos capillos atque oculos habent, maculae rotundae numerosae aut loca variegata coloris pallidioris apparent, quae super partem extra areolam positam per circuitum pollicis et quod excurrit, diffunduntur et speciem praebent, tam quam color guttis multis in hancce partem illapsis ex stinctus sit. Fatetur quidem auctor, hocce phaenomenon haud apud omnes feminas, ergo non constans, deprehendi, attamen provocans ad testimonia medicorum obstetriciorum inclitorum patriae suae, pluraque exempl argumentorum loco afferens, diserte contendit, ex eju praesentia semper de conceptione exorta posse conclud Kilian in praefatione, quam versioni praemisit, adnota mutationes illas mammarum a Montgomery observata minime tanta excellere dignitate, quantam auctor, ceterum meritissimus, iis adscribat. Ut verum fateamur, observatio illa per experientiam non omnino confirmari vide tur, si enim confirmaretur, medici obstetricii patriae no strae qui, cognitionis sublimioris studio ducti, omnia a artem pertinentia probe colunt, plus ponderis ei tribue rent. Ceterum illa observatio, si forte confirmetur, sententiam meam supra appositam refutare non valet.

Duo sequuntur signa graviditatis, plane quidem con-
tantia, nentiquam vero certa et indubitata — nimirum
mplitudo et plenitas totius regionis pelvinae, quae, quum
is vitalis uteri exaltata conceptione inducta cum vicinis
artibus communicetur, adaucto sanguinis versus has par-
es affluxu et uberiore adipis depositione efficitur; deinde
entris tumescentiā magis magisque increscens, quam ute-
us, in dies amplificatus et integumenta abdominis ex-
andens, producit. Communis autem experientia docet,
asdem mutátiones haud raro apud mulieres non prae-
gnantes occurrere, partim nempe apud eas, quae hydrope
scite, aut tumore in ipsa abdominis cavitate posito, aut
iscus aliquod occupante, laborant, partim apud eas, qua-
rum repressa catamenia aetate provectiore massae adipo-
sae depositione sarciri videntur.

Hisce adjunguntur mutationes, quas umbilicus in va-
riis graviditatis periodis experitur, quippe qui initio ple-
rumque magis retrahi, sub medium tempus complanari,
sub finem demum protrudi soleat; has autem mutationes
quocunque ventris tumore effici posse, nemo non in-
telligit.

Non raro apud praegnantes, praesertim in ultima
graviditatis periodo oedemata satis ampla venasque vari-
cosas tam pedum et crurum, quam labiorum pudendi,
exoriuntur. Qui tumores, quum pressione majore, quam

uterus amplificatus in venam saphenam, pudendam externam venasque iliacas, aut in vasorum truncos principes exserit, illustrari queant, facile intelligimus, unam quamque causam, qua vasa corporis simili ratione comprimantur, illas conditiones inducere posse.

Ultimum signum visibile, quod recentiore aevo praesertim Kluge et Jacquemin attentione dignissimum habent, cernitur in tunicae mucosae vaginae atque portionis vaginalis colore coerulescente, faecis vinosae hauc absimili, quem adhibito speculo vaginali cognoscimus Auctores varii, qui observationes circa hocce phaenome non instituerunt, de ejus dignitate non consentiunt, ali enim in unaquaque graviditate occurrere, alii contra plu ribus in casibus desiderari asserunt. Si in causam in quirimus, quae dictam vaginae conditionem efficiat, no aliam invenimus, quae majore probabilitate statui possi quam sanguinis major impetus versus hanc partem, ad aucta ejus irritatione concitatus. Quodsi haec, qua supponimus, vera sunt, nemo sententiam eorum vitupera bit, qui illam coloris mutationem tunicae vaginalis muco sae aliis systematis uterini irritationibus originem debe posse, judicant. Quum autem disquisitiones hujus phae nomeni nondum ad finem perductae sint, equidem dign tatem ejus neque defendere neque denegare audeo, mu tos vero, si opus est, auctores afferre possum, quoru

ffata opinionem meam in opusculi hujus exordio pronunciatam tuentur.

Altera classis ea signa objectiva complectitur, quae actu percipiuntur, de quibus nunc disseram.

Quemadmodum mammae earumque papillae pleniores atque magis evolutae oculis conspiciuntur, ita mutationes earum manu explorante etiam cognoscuntur; praeterea in iis evidentius singulas partes glandulosas et ductus lactiferos, funiculorum tenuium instar ad papillam decurrentes, sentimus. Verum his etiam signis eadem fallacia, quae visibilibus mammarum mutationibus, inest, id quod supra dictis probatur, quae, ne saepius eadem repetam, hic silentio praetermittam.

Omissis phaenomenis, quae ad singulas quasque graviditatis periodos pertinent et ex quibus permultis in casibus tempus satis certo determinari potest, generalia tantum de mutationibus, quae tactu observantur, exponam.

Visibiles abdominis atque umbilici mutationes manibus etiam cognoscuntur. Quod ad harum mutationem pertinet, ea meditanda sunt, quae supra adnotavi.

Plerisque in casibus, nisi mulieris insolita obesitas aut nimia integumentorum abdominalium tensio impedimentum offerat, inde a quarto graviditatis mense ad ejus finem usque fundum uteri instar tumoris rotundi atque duri per ventris tegmenta sentire possumus. Interea col-

lectiones sanguinis aut seri, tumores vel excrescentiae cujusvis generis in uteri cavitate, non raro hoc viscus eodem modo ut foetus ei insidens expandunt saepeque impediunt, quominus medici explorantis manus causam distinguat, qua uteri extensio efficiatur. Alii etiam tumores in ventris cavitate exorti uterique gravidi formam imitantes, nonnunquam dignoscentem medicum ad errores seducunt.

Quum uteri parietes novissimis graviditatis mensibus expansionem maximam experiantur, sub qua uterus, praesertim si liquoris amnii copia exigua est, non amplius solitam formam servat, sed ad partes corporis foetalis strictius applicatur, saepe hoc tempore unam alteramve infantis partem per integumenta abdominis tangere valemus, etsi, non omnem abesse fallaciam, prope pensitare debemus.

Quemadmodum motus infantis, quos mater percipit, ambiguum graviditatis testimonium offerunt, ita nihil est, quod dicto criterio manibus medici explorantibus sese offerenti plus dignitatis tribuere nos jubeat, dummodo ab eo discedamus, quod signa objectiva multo majorem, quam subjectiva, fidem merentur. Eaedem nimirum causae, quibus ipsae mulieres decipiuntur, motus infantilibus similes, manibus percipiendos, efficere possunt; imo traditum legimus, nonnullas mulieres longiore exercitatione

rtem addiscere, motus infantis imitandi. Quod autem iulto magis dignitatem hujus criterii restringit, in eo est, uod casus nonnunquam occurrunt, in quibus motus in-utiles, quamvis a matre evidenter sentiantur, manibus xplorari nequeunt, id quod exempli gratia in hydrope scite, cum graviditate conjuncto, haud raro evenit.)nandoque autem motus infantis adeo exigui sunt, ut eque a matre neque a medico percipiantur, quod facil-ime erroribus nos irretire potest.

Manifestae etiam et singulares mutationes sunt, quas artium sexualium internarum exploratione detegimus. Tam partes ambientes, quam organa genitalia externa ma-orem plenitatem atque turgorem, quam statu normali, xhibent; tunica vaginae mucosa magis rarefacta et suc-culenta, temperies ejus solito major invenitur, quae qui-lem phaenomena non modo pro varia mulierum consti-utione differre solent, verum etiam aliis ex causis pro-ficisci possunt.

Prout graviditatis periodus vel haec vel illa exstat, portio uteri vaginalis alias atque alias mutationes exhibet. In prima nimirum periodo, qua uterus in pelvim magis descendit, locum aliquanto inferiorem, quam statu normali tenet, quo fit, ut digito explorante facilius eam attingas. Quodsi vero utero, continuo incremento ad majorem am-bitum evecto, pelvis cavitas non amplius sat spatii prae-

bet, itaque adscensus ejus ad locum superiorem evenit portio quoque vaginalis uteri ita assurgit, ut quandoque per vaginam difficillime aut nullo modo sentiatur. In ultima autem graviditatis periodo iterum demittitur, propterea quod uterus gravidus pondere suo maximo depri mitur. Tela portionis vaginalis, quo magis graviditas ac finem provehitur, eo rarior, mollior, spongiosior redditur quemadmodum igitur haec pars apud virgines coni du rioris et prominentis instar per vaginam sentitur, ita ho tempore peripheria ejus non sine difficultate dignoscitu imo explorandi minus peritum plane effugit. Quacun parietum rarefactione et emollitione oris uteri mutati exoritur; quum enim hoc orificium alias rimae transver sae formam exhibeat et vix apicem digiti extremum im mitti patiatur, nunc rotundum evadit et minus atque m nus impedit, quominus totus digitus inseratur. Collu uteri, quod diutissime formam normalem servat, sub me dium graviditatis tempus paullatim explanari incipit, qu niam partes constituentes ejus expanduntur et formand foetus involucro impenduntur, quo fit, ut ultimo gravid tatis mense nonnisi tuber exiguum, vel margo aliquan elevatus orificii uteri externi supersit. At vero mutation descriptae morbis uteri quoque effici possunt et in gr viditate extrauterina, rarius quidem occurrente, ne n nima quidem illarum partium mutatio observatur.

Non raro exploratione per vaginam instituta vel
ınc vel illam infantis partem tangimus, pro varia gravi-
tatis periodo magis minusve mobilem, nunquam autem
erto dirimere possumus, utrum, quod sentimus, pars
etalis sit, an tumor in utero exortus. Alia hujus si-
ni fallacia in eo cernitur, quod in plurimis quidem sed
on in omnibus casibus partes foetales tactu perci-
iuntur.

Denique animum ad ea signa advertam, quae auditu
obis suppeditantur. Duo praecipua signa, attentionem
ostram merentia, huc pertinent, quorum unum, nimirum
erceptio ictuum cordis foetalis dicrotorum, eatenus cer-
um criterium haberi potest, quatenus, si observatur, gra-
iditas mulieris extra omnem dubitationem ponitur, alterum
ero, scilicet pulsatio, qua sanguinis circuitus per uterum
gravidum in placenta efficit, eam ob causam ambiguum
esse solet, quod cum aliorum vasorum pulsantium stre-
pitu confundi potest. Quum autem medicorum obstetri-
ciorum opiniones de hocce signo admodum dissentiant,
ergo futurum tempus dirimere debeat, quantum fiduciae
in eo collocandum sit, meum non est, certi aliquid de eo
judicare. Hoc tamen nemo diffitebitur, auscultationem ea-
tenus mancam existimandam esse in cognoscenda gravi-
ditate, quatenus primo graviditatis tempore, quo omnia
signa maxime incerta et ambigua sunt, nihil auxilii nobis

affert. Ceterum, si neutrum signorum antea dictorum auscultando percipimus, tamen certo asserere non licet, graviditatem abesse, quoniam foetu demortuo illa signa evanescunt.

Proinde nostro etiam aevo inter pia desideria pertinet, ut signum detegatur, quod per omnes graviditatis periodos certum atque indubitatum sit; sperare forsan licet, fore, ut chemia analytica, vel microscopicae disquisitiones, quae recentiori tempore diagnosticen haud mediocriter illustrarunt, pio desiderio illi satisfaciant.

VITA.

Georgius Augustus Fridericus Guido chulze Stendaliis, oppido Palaeomarchiae, die XXIII nensis Aprilis a. h. s. decimo septimo, patre Ludoico Schulze, res criminales dirigente, quem jam diu norte ereptum lugeo semperque lugebo, matre Guilelma gente Triest, quam adhuc vivam pia mente veneror, enitus, confessioni evangelicae addictus sum. Maxinopere a me laudandus et praedicandus est amor et enevolentia Caroli Buettner, patris secundi carisimi, quem deus optimus maximus mihi per longam anorum seriem salvum conservet.

Primis litterarum elementis in schola civica Soltquellensi imbutus gymnasium ejusdem urbis, quod tunc directore clarissimo Danneil florebat et etiam nunc floret, usque ad annum MDCCCXXXIX frequentavi, ibique litteris, quae ad studia academica viam muniunt, navavi. Testimonio maturitatis instructus eodem anno almam hancce Berolinensem academiam adii, et ab Ill. Twesten, tunc temporis Rectore magnifico, in civium

academicorum numerum receptus, ab Ill. Hecker, maxime spectabili medicorum ordinis Decano, medicina studiosis adscriptus sum. Per annum dimidium medicinae disciplinis operam dabam.

His autem viris Berolini magistris usus sum:

Ill. J. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum; Ill. Schlemm de osteologia; Il Hecker de encyclopaedia et methodologia medica Cel. Dove de physice; Ill. Trendelenburg d logice.

Deinde almam universitatem Bonnensem petii, ub ab Ill. Goldfuss civium academicorum numero adscriptus, disserentes per unum semestre audivi: Ill. Goldfuss de zoologia; Ill. Treviranus de botanice; Ill Noeggerath de mineralogia; Ill. Mayer de physiologia. In alma universitate Halensi, ab Ill. Gruber i academicorum civium numerum receptus, per quatuor semestria hasce praelectiones frequentavi: psychologiam apu Ill. Hinrichs; chemiam experimentalem apud Ill. Steinberg; materiam medicam apud Ill. Friedländer; pathologiam et therapiam tam generalem quam specialem apud Il Krukenberg; chirurgiam et akiurgiam apud Ill. Blasius. Duces mihi fuerunt: Ill. d'Alton in cadaveribu rite secandis; Ill. Blasius in arte fascias chirurgica rite applicandi et in operationibus ophthalmiatricis. Cl nicas exercitationes medicas et chirurgicas frequenta apud Ill. Krukenberg et Ill. Blasius.

Deinde iterum ad hanc almam petii Fridericianam

i per annum studia medica persecutus sum. His in-
fui scholis: Ill. Kluge de arte obstetricia; Ill. J.
ueller de anatomia pathologica; Ill. Hecker de me-
inae historia. In exercitationibus practicis duces mihi
erunt in clinico medico Ill. Schoenlein et Cel. True-
edt; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Jueng-
n; in clinico obstetricio Ill. Kluge. Praestantissimi
c non experientissimi viri, Stumpf, rebus medicis in
gione tormentaria praefecti, quo duce nunc chirurgus
ilitaris stipendia mereo, benevolentiae ac disciplinae gra-
ssimo semper recordabor animo.

His omnibus viris, optime de me meritis, gratias
iblice ago quam maximas, pioque animo semper habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam me-
co, atque examine rigoroso rite superatis, spero fore,
t dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medi-
na et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Nulla pleuritis sicca.
2. Pulsus parvus venaesectionem non excludit.
3. Placenta est pulmo foetalis.
4. In inflammatione vis vitalis non est adaucta.
5. Cujus sexus foetus in utero sit, cognoscere non possumus.

THESES.

1. Nulla pleuritis sicca.
2. Pulsus parvus venaesectionem non excludit.
3. Placenta est pulmo foetalis.
4. In inflammatione vis vitalis non est adaucta.
5. Cujus sexus foetus in utero sit, cognoscere non possumus.

NARROW GUTTERS
(1-2 CHARACTERS
LOST ON
SEVERAL PAGES)